



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

VIII. Lutheri aduersus Sacramentarios sententia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

coelestia secreta ei simul sint relevata. Hic est unus ex Lutheri atheis. (a) quem etiam in discipulos suos transfudit, quemque etiam Zuinglius (b) Bucerus & Calvinus (c) amplexi sunt, qui omnes affirmant, Christum non statim initio omnem scientiam ac sapientiam perfectionem, ut Papista somniant, habuisse, sed paulatim & per gradus quosdam accepisse. Atrox hæc blasphemia est, quæ ignorantiam Deo attribuit, contra S. Scripturæ & omnium SS. Patrum qui umquam scripserunt, auctoritatem. Sed quia Lutherus dicit se solum esse, ac tot tantaque res assequi sufficere non posse, cur non eandem excusationem admittit, misero Carolstadio spiritus sui imbecillitatem allegante, ut qui tum in veritate nondum plene fuerit instructus? Carolstadius, inquit Lutherus, (d) eo se excusat, quod initio spiritum non satisfertem habuerit. At Dei spiritus hæc excusatione non utitur. O demon, iam scio quis sis. D. Paulo post conversionem coelestis scientia statim fuit infusa: & postquam spiritus S. descendit super Apostolos, omnis error ab eis fugatus fuit & exclusus. Sed agere, Numquid Lutherus postquam ab Ecclesia defecit, iam magna hominum multitudine ad se attracta, diu incertis opinionum ventis fuit agitatus, dum iam hoc iam illo modo tam doctrinam quæ Ecclesiam suam format ac reformatur? At quid miseris illis animabus factum est? quod illæ pervenerunt, quæ ipsum sequuntur, interea dum ille credit quod postea negavit; & dum improbat quod postea probavit, decesserunt? Hæc Lutheri inconstantia Sacramentarij occasionem & animum dedit, Impanationem quam ille tanto labore sectæ suæ persuaserat, ex ipsis Lutheri scriptis impugnandi ac refutandi. Et si vero Beza fatetur (e) Lutherum sæpius errasse, iustam tamen auctoritate Calvinismum passim defendit. Sed quid de hoc Schlussemburgius? (f) Beza ait more omnium Sacramentarij, veritatem corrumpere. Meridiano enim sole clarius esse, post Renatam Evangelij doctrinam, Sacramentarij opinionem à nemine maiori zelo, ardore & vehementia quam à Euthero fuisse impugnatam. Verum audiamus ipsius contra Sacramentarios, tam varijs modis in sanctissimum Sacramentum grassantes, sententiam, & quomodo ille in libro De Verbis Cœnæ Domini loquatur id unice permolestè ferens, quod, ut alij, præsentiam Christi in Sacramento negare, etsi velit, non possit.

VIII. Doctor Carolstadius, inquit Lutherus, in verbis illis Hoc est corpus meum, pronomen Hoc misere-

detorquet. Zuinglius verbum substantivum Est. Oco-lampadius nomen Corpus. Alij totum textum pervertunt, & pronomen Hoc omnino delent, sic interpretantes: Accipite, manducate corpus quod pro vobis traditum est, quod hoc est. Alij alteram textus partem interpositis verbis, misere crucifigunt dicentes: Accipite, manducate quod pro vobis traditum est, Hoc est corpus meum, in mei commemorationem, id est, Corpus meum non hic est realiter, sed tantum commemoratio mei corporis, ut textus intelligatur. Accipite manducate, hæc est commemoratio mei corporis, quod pro vobis traditum est. Præter hos alij sunt (ut septenarius numerus compleatur) qui dicunt, non agi hic de articulo aliquo Fidei, eoque non tanta vehementia hic disputandum esse aut pugnandum, sed liberum esse cuique credere quod videatur. Hi quidem omnia destruunt ac proculcant; & tamen eorum quilibet spiritum S. habet, scilicet, neque in tam diversis & contrarijs probationibus ac textus allegationibus quicquam erroris vult insimulari; quamvis necessario veritas tantum una sit. Vide quæ, quam aperte diabolus nobis illudat, Hactenus Lutherus, qui septuaginta illam Sacramentarij hydram representans, in se ipsum capitalem sententiam pronunciat. Ad quid, inquit in Sermone de Eucharistia, ego verba illa, Hoc est corpus meum, lubens volens obscurem, & nescio quas subtilitates confingendo, errorum labyrintho me involvam? An in tam simplicibus & claris verbis ulla potest esse ambiguitas aut obscuritas? Accipere panem gratias agere, dare ad manducandum & bibendum. Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei. Et miseri Sacramentarij ad sudorem usque, verba hæc edetorquere laborant, ut significent id quod eorum aliquis somnivit aut deliravit. Quid hoc est? inquit in eodem libro. Quis umquam legit in scriptura Corpus idem dici aut esse quod signum corporis? Et verbum hoc est, esse idem quod significat? Quæ umquam lingua taliphrafi aut modo loquendi usa est? Ego certe nihil aliud persuadere mihi possum quam hunc ipsum esse diabolum, qui per superbam suam malitiam in re tanta nobis illudat. Est alius, ait alio in loco (g) S. Spiritus, (nimirum diabolus) qui opinionem hanc auribus quorundam insusurrat & cerebro imprimi: disputationem hanc non esse de re magni momenti non tanta vehementia disputandum esse de eo. ubi

T 3

quisq.

a Luth. in Conc. de Natal. Dom. b Ad cap. 2. Luc. c ad ca. 24. Luc. d in Harm. Evang. ad c. 3. Matt. & in Ioan. 6. 18. 21. Coloss. 1. & 8. c Tom. 2. f. 35. cont. scelest. Prophet. Lib. cont. Salu. f. Lib. 2. Theol. Calvin. g. Tom. 2. Germ. f. 257.

quisque crederet possit quod voluerit. Sic P. Martyr, ut Josias Simlerus in eius Vita testatur, Saxones quavis diversum de Cœna Domini sentientes, pro fratribus suscipere non recusabat, quod hac de Sacramento quaestio (vide, quaeso, quanti homines hi altissimum nostræ religionis mysterium faciant) tanti momenti non sit, ut propterea communio & Charitas Christiana inter fideles rumpi debeat. Et Musculus aperte dicit, (a) se libenter pro fratribus habiturum quamcumque quis in controversia de Sacramento, modo non Papistarum, opinionem sequatur.

IX. Nolo bonas horas male perdere, alias Sacramentorum tam diversas quam ineptas & detestabiles de hoc uno articulo opiniones colligendo: breviter tamen quasdam attingam. Alij corpus D. N. in Cœna assistere, alij exsistere, alij subsistere dicunt; item In, Cum, Sub, Supra, Infra, Subter, Penes panem esse: panem tantum manducari Vere, sed corpus opinione seu fide: vinum non esse sanguinem Christi, qui, si Thomæ Erasto Calvinistæ credimus, (b) ante mille & quingentos annos effusus, computruisset, nec amplius est in rerum natura. Multas alias absurdas phantasticorum hominum opiniones omitto. Ab ipso Lutero in ultima sua Confessione, octo Zuinglianorum contrariæ opiniones notantur. Contra Melancthon magistro se opponens, quinque Lutherianorum de eodem articulo diversas atque inter se repugnantis sententias producit. Quæ pulchre vero Laicus, qui primus Zuinglianum Evangelium in Polonia annunciavit, in hoc articulo sibi constet, Lutherani è scriptis ipsius docent. (c) Aliquando enim verba illa sic interpretatur: Hoc est corpus meum, id est, hic est usus in corpore & sanguine meo. Aut: Hoc est meritum & gloria Passionis, Martii & Resurrectionis Corporis mei. Vel: Hoc est qualitas propria mei corporis: Vel: In hoc Sacramento mysterium mei corporis designatur. Vel: Hac est forma, ceremonia & actio externa mea Cœna. Vel: Est panis & poculi impetrata participatio. Vel: Hac est communio, ius & societas mei corporis. Vel: Hac est extrema voluntatis meæ contestatio. Quis unquam quidquam addidit insulsius aut ineptius? His non dissimilis est Campani Prædicantis interpretatio, dicentis, Hoc est corpus meum, id est, Hic panis est corpus, quod ego creavi. Sic nempe ijs solet evenire qui à Catholica desciscunt Ecclesia, ut nihil tam ridiculum atque absurdum à magistris suis proficiscantur, quod non tamquam Palladium amplectantur. Porro dici non potest quantopere Lutherus hoc suo iudicio & sententiæ universam Sacramenta-

riorum cohortem exacerbarit, adeo ut nomen eius certatim lacerare ac infamare contenderint, hæreticum Antichristum, diabolum appellantes, Deus, inquit, Conradus Refcius Sacramentarius, (d) ad castigandam Lutheri, quæ in omnibus eius scriptis elucet, ambitionem & superbiam, Spiritum suum ab eo abstulit, eumque spiritui erroris & mendacii tradidit, qui etiam opiniones eius sequentes semper possidebit, donec ab eis discesserint. Hinc Lutero quasi condolens Erasmus, Antea, inquit, Lutherus ipsis tantum non Deus erat: idem vero iam delirans, iam insanis, eo quod novo illi de Eucharistia dogmati assentiri noluit. Sed non edentulus est Lutherus, (e) iniurias & convicia plena manu resundens, & Zuingianos ad omnes diabolos & in maximam malam crucem ablegans.

Quem vero fructum Christianitati concertationes exartulerint, è Bullingero discet, (f) qui dicit, implacabili hoc Lutherianorum & Zuinglianorum dissidio Mundum ita turbatum, ut plurimi quid aut quæ sequi debeant ignari, aperte præferant nihil se credituros quam quod ipsis videatur. Quis non videt latissimam ad omnem impietatem hoc modo fenestrâ patefactâ? Et tamen famosus vel fumosus potius ille Vulcanus seu Faber culus, aquâ igni & lumen tenebris conciliare aggressus, inter Lutherianismum & Zuinglianam sectâ nihil aut parû interesse scribit. Lavater⁹ Zuinglianus in Præfatione quadâ ait, utrumque, tam Lutherum quam Zuinglium electos à Deo fuisse, ut multis cû laboribus vitæque periculis multos ad Iesu Christi servitium adducerent: sed dissidium inter hos duos maxime esse deplorandum ut quod obstiterit quominus communitis viribus Antichristum prostraverint & confecerint. Sed quid ais mi homo? An Deus diversarum religionum auctor est? Quid testat nisi ut dicatis ab hoc æque Mahumetem ac Jesum Christum missum fuisse? Atqui nihil in Deo contrarium sibi est, ut qui unus & solus ipsa sit Veritas.

X. Quoniam vero complures Sacramentarii Lutheri auctoritate suas partes munire conati sunt; & Ambrosius VVolfius asseverat, Lutherum quod tanto impetu libros quosdam protrussisset, penitentia ductum, in Conventu quodam in gratiam cum

a In Loc. 350. b Vid. Ioan. Iesrel. c Vide VVestphal. Farrag. confus. & inter se dissid. Schlusfeld. lib. 3. d Const. Hessus: de Cœna Lib. de Pseudoevangel. e Tom 7. de verb. Cœn. f. 38. & epist. ad Albert. Brandenburg. f. In fund. str. con. Brent. cap. 1.